SCT
1015
.79

Digitized by Google

SCT
015
.79

Library of



Princeton University.

Digitized by Google

Digitized by Google

Viro consultissimo [illegible]

m.a.

ORATIO

DE

CRITICA, HISTORIAE DILIGENTER ADHIBENDA.

Digitized by Google

Worcumi, typis H. BRANDENBURGH.

Digitized by Google

JACOBI ADOLPHI CAROLI ROVERS

ORATIO

DE

CRITICA, HISTORIAE DILIGENTER ADHIBENDA,

DICTA PUBLICE

DIE XXV SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXXVII,

CUM LITERARUM HUMANIORUM PROFESSIONEM

IN ATHENAEO FRANEQUERANO

AUSPICARETUR.



UNIVERSITY LIBRARY PRINCETON N.J.

FRANEQUERAE,

APUD G. YPMA, BIBLIOPOLAM.

1828.

Digitized by Google

Digitized by Google



Magna profecto fuit Antiquarum Literarum ad pellendam medii aevi barbariem vis et auctoritas. Harum enim studium ut primum in Italia renatum inque alias deinde regiones traductum fuerat; egregii quique viri salubri illa veterum disciplina imbuti, gravissimorum errorum caussis indagatis, nil non praeclarum et ingenio concipere et in hominum luce ponere ac commendare, laetioris omnino in maximis rebus conditionis auctores esse coeperunt. Quorum quidem exemplum alii identidem secuti, eo magis et ipsi profuerunt literis, et vero has prodesse ipsarum studiosis coëgerunt, quo diligentius severiusque eas tractare, quoque magis iis *Criticam* adhibere instituerunt. Cum enim praeclarae hujus artis ope

(RECAP)
NOV -4 1904

obscura illustrentur, corrupta emendentur, falsa in primis a veris discernantur, facile ejus ad veterum scripta interpretanda et declaranda intelligitur momentum. Namque sic eo sponte valet, ut quae illorum monumentis continentur artes et doctrinae longe pulcerrimae et hominum generi fructuosissimae, cum explicentur diligenter, tum rei publicae usui adhibeantur. In quibus quidem principem quendam locum concedendum esse *Gentium Historiae* et sciunt omnes et fatentur. Haec autem, ut universa, ita praesertim antiqua, sine Critica ejus monumentis adhibita adeo non tractari potest, suam ut dignitatem et auctoritatem amittat plane. Itaque et alii literarum principes, et vero, teste Ruhnkenio, Tiberius Hemsterhusius id solebat etiam atque etiam praecipere, ut Critices ei lumen admoveretur. Cujus equidem praecepti eo magis agnovi praestantiam, quo accuratius et literis et historiae operam navare institui: et quandoquidem hoc anno gentium historiam disciplinae meae alumnis sum traditurus, neque meae personae accommodatius, nec vestris, Auditores, studiis dignius, nec denique Athenaei nostri civibus utilius inveni, de quo verba facerem, argumentum, quam hoc ipsum de *Critica, historiae diligenter adhibenda.*

Digitized by Google

Quod quidem argumentum ubi non ea orationis bonitate disserendique evidentia ac gravitate, quae ab oratore postulantur, explicitum fuerit: cogitent velim periti harum rerum judices et hanc aetatem meam juvenilem et doctrinae mediocritatem; tum sciant iidem tantum abesse, ut ego mihi videar novi quid esse de tanta re prolaturus, ut aliorum sententiam explicare tantummodo et commendare aggrediar.

Cum varia sit hominum de variis disciplinis sententia, ut ab aliis negligantur et contemnantur subinde, quae aliis unice placent, miretur quispiam, de una historia non adeo discrepans ferri judicium. Hanc enim utilem omnes, in primisque suavem et cognitu jucundam ducunt. Cujus rei caussa si quaeratur, ex ipsa historiae natura repetenda videtur. Non enim abstrusis continetur rerum difficillimarum extraque factum positarum disquisitionibus, quas qui rite perciperent, omni aevo fuerunt pauci; neque etiam ad peculiarem vitae, locorum, temporum conditionem refertur, in qua te versari oporteat, ut disciplinae dignitatem sentias penitus; sed pertinet ad res ab hominibus variis temporibus variisque in locis gestas, quae, utpote in facto positae, nec

Digitized by Google

tantopere communem hominum intelligentiam superant, et vero ideo advertunt plerosque, quoniam ubivis eos, quibuscum ipsis generis cognatio et similitudo intercedit, agentes patientesve spectant. Itaque non cultis tantum doctisque viris, sed homini universe humanaeque naturae proprium est historiae studium. Indicant id pueri, quos nemo facile attenderit, quin vehementem in iis res gestas cognoscendi ardorem animadverterit, ita ut mirifice earum narratiunculis delectentur, teneantur, moveantur etiam in utramque partem, et vix satientur audiendo: declarant homines inculti, qui lubenter fere et alios res gestas enarrantes audiunt, et ipsi inter se, de iis in primis, quae suâ patrumque memoriâ acciderunt, licet incondite subinde, at jucunde tamen confabulantur: probant denique gentes rudes et barbarae, quarum sive ἀοιδοὺς, sive vates, seu bardos, aliove nomine dictos majorum facinora summa cum audientium approbatione enarrare et divinis ferme laudibus celebrare, ex veterum Graecorum μύθοις et peregrinatorum testimoniis unicuique notum esse opinor. Adeo verum est, quod modo proferebam, historiam ut ingenio nostro plane congruam, ita se sponte sua commendare omnibus!

Digitized by Google

At vero multum abest, Auditores, ut his puerorum et gentium incultarum narratiunculis gravissimae disciplinae munus absolvi putem. Est Historia omnino factorum enarratio, cujus quodammodo intelligendae capaces sunt plurimi, verum non fabulae instar leve quodcumque futileve negotium proponit: ipsas gentium res gestas complectitur, acerrimumque semper veri studium requirit; et quoniam res gestae tum demum plene enarratae et sunt et habentur, quando non tantum *quid* acciderit, sed in primis *unde* illud et *quomodo* sit factum, explicitum est: historia insuper rerum caussas, sive in eorum, qui eas gesserunt, conditione, ingenio, moribus, sive in populorum indole, seu in peculiari locorum temporumque ratione positas, exhibet; praecipuaque negotiorum momenta, quae ad ea interius perspicienda faciant, tum eorundem eventus adducit. Haec enim si ex historia tollas, ἀγώνισμα quidem, ludicrum spectaculum relinquitur, minime autem eruditionis est schola; oblectationem in praesens, in posterum nullam utilitatem affert. Sic inter primarios veterum historicos maxime Polybius judicavit, idemque gentium res gestas ita descripsit, ut ex earum cognitione ad prudentiam sapientiamque proficere liceret. Quam quidem palmarii scriptoris sententiam

Digitized by Google

ante hoc decennium diserte celebravit Borgerus ille vestras, Academiae *Lugduno Batavae* tum decus et ornamentum.

Verumtamen sic historiam tractare tamque uberes ex ea fructus percipere nemo potest, nisi qui *Criticam* ei adhibuerit. Nonnulli pervolutatis historiae compendiis, mirifice continuo et sibi et sui similibus sapere videntur, celebrant crepantque historiam pragmaticam et philosopham ejus tractandae rationem, ne illud etiam tenentes, quid verum sit, quid probabile, quid falsum, modumque, quo haec dignoscantur, ignorantes plane. Quorum dici non potest quantum et verae eruditioni et historiae potissimum noceat temeritas. Nam suo indulgentes sive philosophandi sive fingendi studio, principum, quae ad historiam pertinent, disciplinarum et assiduam respuunt meditationem et labefactant tolluntque fundamenta: aversantur Geographiae, quam perhibent, severitatem, jejunitatemque fastidiunt Chronologiae; quibus tamen qui non diligentem operam navarit, nae is pueriliter fere in historia ineptiet; tum vero gravissima gentium negotia sic ad temere conceptas opiniones exigunt et contorquent, vix ut species relinquatur veritatis. Quo equidem nihil dicerem stultius

Digitized by Google

posse perversiusque inveniri, nisi haec item ferretur nonnullorum sententia, historiam non ex factis, sed ex philosophiae principiis, exponendam esse. Quales profecto homines, si foret in terris, rideret Democritus: nunc vero omnes rident vel potius miserantur accuratae doctrinae studiosi. Id scilicet, si quid aliud, est nubem pro Junone amplecti. In horum vero omnium errores ne inducamur, percipiamus autem pragmaticae historiae fructus uberrimos, una efficit *Critica*, cujus mihi in hac disciplina commendandam sumsi utilitatem. Quodsi unquam, Auditores, ad sensus meos aperiendos aliquam recte dicendi facultatem exoptaverim, ita nunc certe vellem praecipua quaedam mihi concessa esset, ut quae de gravissimo praeclarae artis munere sentio, apte digneque vobiscum communicarem.

Egregie Polybius, prouti animal, inquit, luminibus ademtis, prorsus inutile redditur, ita, si veritatem ex historia tollas, quod superest illius, nullius usus est narratio. Sed veritatem ut assequi in mathematicis disciplinis licet, ita sectari oportet in historia, optimeque is in hujus studio versatus videatur, qui ad eam quam proxime accesserit. Viae autem, quae eo certissime ducit, hic est ad-

Digitized by Google

itus, ut *ipsos fontes* indagemus et adeamus. Qua in re jam continuo grave quoddam cernitur Critices munus. Sunt autem illi, ut numero multi, ita genere varii. Et primum quidem in censum veniunt traditiones, ea maxime gentium aetate obviae, qua, literarum usu parum cognito, rerum memoria ore parentum et vatum carminibus cum liberis ac popularibus communicatur. Sed hae prouti populorum origines et antiquissimam conditionem unice persequuntur, ita latius patent acta, quae vulgo dicuntur et monumenta, quo pertinent cum alia tum rudera*, nummi, inscriptiones, rationes authenticae, id est, foedera, diplomata, alia, omnes omnino publica auctoritate confectae scriptiones: quamquam ne haec etiam omnes historiae partes aeque attingunt. Ita rei diplomaticae multo major est in recentiore, quam in antiqua historia utilitas. Quamobrem, quos memoravi,

* Haec quanti sint in historia aestimanda nostra in primis patuit aetate, qua celeberrimorum peregrinatorum descriptionibus innumera cognovimus *Aegypti*, *Nubiae*, *Aethiopiae* aliarum regionum rudera sepulcrorum, templorum, palatiorum. Vid Heeren *Ideen* cum passim in disq. de gentibus Africanis, tum Op. Tom. XIII, p. 352 sqq., edit. ult. et in primis in praef. ad disquisit. de *Aegyptiis*, Tom. XIV, ubi totam historiae monumentis nisae rationem egregie explicat.

Digitized by Google

fontes ubertate facile superant scriptores, perpetuam magis historiam complectentes, rerum autem enarratarum nisi testes at saltem aequales. Seriores enim historici in illorum tantum desiderio fontium locum tenent. Illos igitur scriptores, quamquam reliquos non negliget fontes, praecipue tamen mea spectabit oratio. Jam vero quod in familiari vitae consuetudine quotidie animadvertitur, homines, si quando aliquid audierint, diffidere testimonio eorum, quibus illud alii jam narrarunt, ipsum continuo indagare narrationis auctorem, quaerere num hic rei interfuerit, aut certe a locupletibus eam testibus acceperit, et tum demum credere: id in gentium historia tractanda nonne eo diligentius fiet, quo graviores hîc res, quam in circulis illis, cognituque digniores proponuntur? Purissima, quam ex limpido fonte derivaveris, aqua, ubi per plurimos hortos ducta fuerit, semper fere de suo aliquantum remittit splendore et sordium nonnihil contrahit. Pariter res gentium ex primorum auctorum scriptis ab aliis deinceps desumtae et adumbratae non quidem semper mendaciis sunt oneratae; quis enim tam abjecte de natura humana existimet, ut omnes omnino, qui ex primariis auctoribus profecerunt, mentitos fuisse dicat? sed ex varia variorum sentiendi

Digitized by Google

cogitandique ratione, e diversis diversorum ingenii dotibus, aliis item caussis pluribus, nonnihil plerumque alieni assumunt, et veluti pristinam suam integritatem amittunt. Quae cum ita sint, illos potius quam hos scriptores adeundos esse patet, eademque de caussa minime dubitandum, quin, iis si reliquos, quicunque sint, fontes adjunxerimus, ad veri, in historia potissimum spectandi, cognitionem certissime tensuri simus. Neque tamen in recentiorum vituperationem scriptorum haec a me dicta esse putetis: quasi eorum et parvi faciam in historiae explicatione positum laborem, et libros cuipiam legere ac meditari dissuadeam. Non adeo sum stultus, qui ad percipiendum v. gr. Imperii Romani tum incrementum et florem, tum lapsum et interitum, ad cognoscendam Medii Aevi conditionem tam universi quam partis illius, quae Sacras complectitur Gentium Europaearum Expeditiones, ad Patriae nostrae vigorem intelligendum sic omnia fontibus tribuam, ut Montesquivii, Gibboni, Robertsoni, Heereni, Stylii scripta nihil plane eo valere diligentique lectione indigna esse statuam. Sed hoc dico, et, si quid aliud, assevero, historiae notitiam, quoad ejus fieri possit, ex ipsis fontibus hauriendam, nec nisi praeclaris seriorum scriptionibus,

Digitized by Google

accurato tamen judicio submissis, esse amplificandam.

Hac igitur ratione, quemadmodum modo significabam, ad veri cognitionem *tendimus.* Nam ut quam proxime illuc accedamus, fontes indagasse et adiisse nequaquam sufficit, eorundem jam porro accedat oportet diligens, severa, *critica* omnino dijudicatio.

Neque enim incultorum hominum traditiones sermone poetico, id est, figuris et metaphoris pleno, conceptae, memoriâ diu propagatae, res gestas, uti acciderunt, ita simpliciter proponunt; sed multis eas accessionibus, ornatas dicam an oneratas? amplificatas, miri subinde speciem nactas exhibent, quibus quidem tanquam involucris nisi denudentur, gentium origines et vetustissimam conditionem adeo non illustrant, ut quasi noctem quandam iis offundant. Veluti de bello Trojano quis nescit multa ornate tradita ad nostram aetatem pervenisse, quibus qui aeque acquiesceret atque Xenophonteae Anabaseos narratione, nae is veri parum studiosus et esset et haberetur. Quapropter sedulo explorandum, quid incultae linguae ratio, rudium hominum phantasia, sentiendi opinandique modus adjecisse videan-

Digitized by Google

tur ornamentorum, quaeque, his sublatis omnibus, verissima maneant. Est haec difficillima, fateor, investigatio, in qua, cum proclive sit errare, cautissime profecto nos versari, id est, rejiciendi temeritatem, aeque ac servandi religionem vitare oportet. Quodsi, his, tanquam scopulis, rite evitatis extremis, medium tenuerimus iter, magnopere illa historiae studio proderit. Quae vero in traditionibus requiritur κρίσις, eadem adhibeatur necesse est actis et monumentis. Nummi enim, quorum ope gravis nonnumquam historiae locus sive cognoscatur seu comprobetur, multum abest, ut omnes sint germani. Monumenta eorumque inscriptiones non ad eam semper, quam prae se ferunt, pertinent aetatem, qua tamen si sint posteriora, auctoritatem vel nullam habeant vel valde exiguam. Rationes etiam authenticae ut gravissimum a publica confectione pondus accipientes, ita egregiam utilitatem praestantes, falsae subinde sunt et depravatae, privatos utpote vel auctores nactae vel corruptores: qua ergo in re historicorum libris sunt similes, ne ipsis quidem semper germanis, sed spuriis nonnunquam et corruptis. Horum igitur fontium amplitudinem explorare et veritatem parvine quaeso an summi potius censebitur momenti? Justa quidem eorum aestimatio est

Digitized by Google

penes archaeologiae, rei numismaticae et diplomaticae peritos, a quorum iccirco opinionibus necessario saepe pendent historiae studiosi. Neque tamen ita pendere ament, ut, quas disciplinas percallere concessum sit paucissimis, has non aliquando attingant ipsi et in suos usus convertant. Nam licet in omnibus, quae et numero plures et pondere graves cum historia junctae copulataeque sunt, disciplinis habitare ac regnare singulis seculis vix singuli queant, in nulla tamen adeo tironi cuipiam esse conceditur et rudi, ut nihil unquam praesidii inde ad rerum gestarum intelligentiam petere possit. Sed haec hactenus. Ad ipsos enim scriptores festino, qui, si quid video, reliquis historiae fontibus diligentius etiam severiusque sunt dijudicandi. Etenim ne ipsi quidem, qui primi res quasdam gestas memoriae mandarunt, aut potuerunt semper verum videre, aut voluerunt cuncti errores evitare. Quae ipsa pro orationis meae consilio uberius nunc persequi et exemplis illustrare lubet.

Varia est variorum temporum conditio. Ingeniorum luce, regiminis formarum excellentia, studio libertatis alia praestant, gravissimis alia erroribus, servitute, densissimisque

Digitized by Google

tenebris premuntur; nonnullis res bellicae unice placuere, sunt item, quae pacis artibus nobilitentur. Haec autem eorum varietas dici vix potest quantum ad veri scribendi facultatem et adjumenti contineat et impedimenti. Hinc enim non ea tantum scriptorum doctrina pendet, qua si careant, jejuni plane atque inepti rerum gestarum sunt enarratores, sed pendet simul easdem rite explorandi dijudicandique facultas. Quis enim aut a viro, ingenioso licet et docto, sed ea nato aetate, qua nullum fere foederum, mercaturae, studiorum vinculum conjungit gentes, nec nisi aegre suscipi possunt itinera: aut etiam ab eo, cujus aevum opinionum pravitate, superstitione, aliis, qui rectum judicii usum impediunt, erroribus infectum est: quis igitur ab hujusmodi hominibus populorum res vere semper descriptum iri censet? Haerebunt, ni fallor, in illorum moribus, legibus, institutis exponendis; sua item suorumque hominum judicia in alios transferent; in gravi denique historicorum munere, quod caussarum continetur investigatione et explicatione, omnium maxime errabunt. Ubi vero, commutatis temporibus, ad sui invicem notitiam magis pervenerint et e pristina opinionum perversitate emerserint gentes, accuratius haec omnia veritsque ad-

Digitized by Google

umbrari poterunt. Quae cum ita sint, Auditores, assentiemini mihi, credo, statuenti, severam historiae studiosum prudentiam decere et diligentiam, qua temporum et rationem attendat et in scriptores vim investiget, tum critice exploret, verane nec ne possint narrari. An vero exemplis primum dicta illustrari vultis? Nil judico facilius pluribusve accommodatius, ut disertos se ostendant. Sed quamquam ex omni fere historiae parte afferri illa queant et plurima et gravissima, nunc tamen nobilissimum illud, quod opportune succurrit, et unum instar multorum rem egregie confirmat, excitasse sufficiat virorum par, cui historiae conscribendae ars apud Graecos praeclara omnia accepta refert. De rebus Graeciae optime egerunt Herodotus et Thucydides, sed diverso uterque consilio, modo, eventu. Suae autem belli Persici explanationi Herodotus tanquam episodia inseruit cum alia plura, tum multarum earundemque rudium ac remotarum gentium descriptionem. Ita in iis occurrunt Scythae aliique boreales populi, de quibus quae refert unde cognoscere potuerit historiae pater, adeo non continuo apparet, ut multi ea fabulis annumerarint. Quid igitur? In horum nos verba jurabimus? An vero ad nonnullorum exemplum de tradi-

Digitized by Google

torum veritate nulli dubitabimus, et nobismetipsis quaerentibus, unde haec omnia ita esse sciamus, satisfaciemus respondendo, Herodotum ea tradidisse? Cavebimus profecto, si sapere velimus, et a temeritate illorum et ab horum credulitate, ut ferendâ et probandâ fortasse in pueris, sic viris indignâ plane. Sed veri studio unice ducti ne feremus quidem judicium, antequam in aevi Herodotei rationem inquisiverimus, eâque quomodo ille usus fuerit exploraverimus. Hinc autem ubi didicerimus, Graecos illo tempore et alibi habuisse colonias, et vero iis diu jam frequentasse Pontum Euxinum, atque ita multas adire potuisse regiones; Herodotum porro aetatis suae et opportunitate utentem et morem sequentem cum in alias dissitas terras tum vero Olbiam, Septentrionale Ponti Euxini emporium, profectum fuisse, partem etiam Scythiae visitasse* et illic in gentium illarum rebus indagandis a Graecis Pontum Euxinum circumhabitantibus et mercaturam exercentibus, praecipueque ab ipsis Scythis profecisse: haec igitur tam gravia tamque late patentia postquam penitus perspexerimus. gentium illarum vere describendarum facultatem Herodoto egregiam qui-

* L. IV, c. 81. Cf. Heeren Operum, Tom. XI, p. 266.

Digitized by Google

dem, non tamen eam fuisse intelligemus, quae ab omni omnino eum tueretur errore. Quo quidem si in hac operis parte plane carere haud potuit, quanto saepius eum tum, vel invitissimum, erraturum fuisse par est, cum aut res describeret antiquas, sui superstitione aevi contaminatas, ex impuris unice fontibus, sacerdotum v. c. narrationibus, templorum monumentis, donariorum inscriptionibus cognoscendas, eam a vetustate et fontium auctoritate velut sanctitatem nactas, ut omni dubio haberentur majores? aut etiam illis temporibus, quae nec philosophiae luce illustrata et gravibus poeticae religionis erroribus inquinata erant, rerum maximarum iisque tantum, quibus judicium a superstitione plane est integrum, explicandarum caussas proferret? Vel fallor, Auditores, vel paucula haecce, quibus ex Graecorum de historiae proposito opinionibus aliisque temporum illorum momentis facillimo negotio adjungantur plura, severae investigationis necessitatem apte probant. Verumtamen non ita, quaeso, accipiantur, ut parum honorifice de hoc scriptore judicare censear. Nam nemini cedo amore Herodoti, nemo me magis viri virtutes admiratur, lubentius plurima, quae primum rejicienda videntur, verissime tamen ab eo

Digitized by Google

scripta esse profitetur, flagrantius denique in eo veri studium agnoscit; sed non *hic* illud studium in censum venit, et istiusmodi operis dijudicatio ut errores multos indicabit, ita etiam multa, in dubium saepe vocata, confirmabit; nec vero tam laudum historico cuipiam tributarum incrementum detrimentumve curo, quam *ipsius historiae* caussam ago, cujus dignitas, certâ quippe veri notitiâ nitens, sine critica fontium disquisitione tollitur plane. Quamobrem minime ad unum haec Herodotum pertinent, in alios item auctores, in Thucydidem adeo, quadrant, quo graviorem antiquitas non tulit historicum. Scripsit hic de bello Peloponnesiaco, quod cum non tantum Athenienses et Lacedaemonios, sed omnem paene Graeciam vexaverit, plurimos Graecorum colonos afflixerit, turbaverit etiam barbaras gentes et per multos annos Graeciae, Macedoniae, Thraciae, insulis Maris Aegaei, Asiae Minori, Siciliae graves intulerit calamitates; mirari primum subit, quomodo tot, tam diversae, diversisque in locis tamdiu gestae res rite ad unius viri notitiam pervenire et ab eo vere dijudicari potuerint. Haud profecto satisfaciunt nobis aliorum judicia, auctoritatem ejus laudantium et suo comprobantium testimonio. Sed animadvertendum, Thucydidem tum rerum

Digitized by Google

bellicarum aliquamdiu participem, tum exsulem Scaptesulae, Thraciae urbe, ubi maxime certatum est, habitantem multorum, quae scripto consignavit, testem fuisse: alia autem accepisse a nobilissimis utrarumque partium gentibus, grandi ab eo pecunia invitatis, ut quam accuratissime res gestas, in adversariis continuo annotandas, referrent: nec vero negligendum, eam aetate illa apud Graecos, auctoribus praesertim Anaxagora et Socrate, philosophandi invaluisse rationem, quae excelsioris ingenii viros de rebus divinis humanisque rectius statuere doceret, superstitionem ex eorum animis evelleret, et sic eos ad gravissima quaeque explicanda et dijudicanda aptiores redderet. Nobis autem, his perpensis, non sane dubium erit, quin verum comperire potuerit Thucydides.

Et haec quidem de veri scribendi *facultate*, historiae studioso diligenter attendendâ, dicta sunto. Verumtamen in critica, quam dudum urgeo, fontium tractatione non indagasse sufficit, quatenus scriptores verum cognoscere *potuerint;* religiose item investigandum censeo, num illud, si ipsi perceperint, aliis tradere *voluerint.*

Digitized by Google

Multa sunt profecto ac varia, quae in summa etiam rerum cognoscendarum copia veritatis lucem tollant. Nimius patriae amor, potentiorum metus, remunerationis spes, partium studium, odium, amicitia, cognatio, affinitas, munera aliaque plura eo saepe valent ut falsa nobis pro veris obtrudantur. Jure quidem Lucianus, vir sanequam doctus et acutus, animum in historico requirit speculo similem nihil turbido, splendido, cujusmodi instar rerum species tales reddat, quales acceperit: et metus, inquit, sit expers, incorruptus, libertatis in dicendo ac simul veritatis amans, omninoque, ut est apud Comicum, *ficum* vocet *ficum*, *scapham* dicat *scapham*, nihil neque odio nec amicitiae tribuat, non parcat prae misericordia aut pudore, integre benevoleque dijudicet omnes, nec tamen alteri plus justo tribuat, hospes denique in suis sit libris, ἄπολις, αὐτόνομος, ἀβασίλευτος, non quid hic illeve judicaturus sit cogitans, sed, quid factum sit, dicens*. At quotumquemque historicorum his animi perturbationibus adeo non se abripi passum esse arbitramur, muneri ut suo dicendus sit plenissime satisfecisse? De Agathocle Siciliae tyranno duo exposuerunt

* Quomodo cons. sit historia, c. 41 et 51.

Digitized by Google

Graecorum historici, Timaeus et Callias, uterque ut inter se dissentiens, ita veritatis negligens. Ille vehemens tyranni ob exsilium, in quod pulsus fuerat, inimicus, mortuum eum acerrime perstrinxit omnibusque conviciis laceravit plane. Hic contra donis corruptus turpiter eidem adulatus fuit et sic historiam προφῆτιν illam τῆς ἀληθείας magnis muneribus vendidit *. Sed hanc ejus dignitatem pari jam diu ratione contemserat Philistus, abjectus ille Siculi Dionysii adulator. Bellum Punicum primum Philinus et Fabius tanto partium studio descripsisse feruntur, ut nimias prudentiae, fortitudinis, sapientiae laudes ab altero Carthaginiensibus tributas Romanis alteri concedere placuerit †. Eorum, qui Augusto successerunt, res, de diserto Taciti testimonio ‡, florentibus ipsis, ob metum falsae; postquam occiderant, recentibus odiis compositae fuerunt. Quod vero ille de Tiberii, Caji, Claudii,

* Excerpta ex Diod. de Virt. et Vitiis, Tom. 2, p. 561, ed. Wess.

† Sententiae auctorem habemus Polybium, L. 1, C. 14, quem tamen de Ernestii judicio in Op. Phil., p. 102, nimis in Fabium invectum fuisse haud ignoro.

‡ Ann. Initio.

Neronis rebus affirmat, et in aliorum Imperatorum facinora quadrat, et in civitatibus servitute oppressis non potest non saepius obtinere. Sic Procopius Justinianeae virtutis primum praeco et adulator, defunctum Imperatorem tam acerbe reprehendit, prope ut ex vitiis eum constitisse diceres. Sed prouti incorruptum illud, quod historia flagitat, veri studium ab his frustra exspectes temporibus, ita istiusmodi scribendi, ut lubebat, non ut decebat, ratio multis etiam medii aevi historicis sive potius annalium conditoribus propria fuit. In turbarum, quae aetate Hispanica patriam exagitarunt, descriptione tam nostratium quam exterorum versata fuit industria; sed neque illi Hooftianam omnes animi integritatem ad eam rem attulerunt, et ex his propter partium studium praesertim notatus est Famianus Strada. Rerum conversionem, quae nostra patrumque aetate in Francia invaluit, multi et commemorarunt et pro variis, quas probabant, partibus varie dijudicarunt. Verumtamen quid plures afferam historicos, ut Lucianei praecepti difficultates non tam argumentando probem quam exemplis declarem? Hinc enim, ni me omnia fallunt, illud, quo haec unice pertinent, sponte nunc colligitur, in critico historicorum examine veri scribendi voluntatem pari saltem ac facultatem

Digitized by Google

explorandam esse diligentiâ. Herodoto igitur, quamvis egregias saepe rerum cognoscendarum opportunitates nacto, sed viro Graeco, excellentissimarum Graeciae laudum praeconi, populorum a Graecis contemtorum historico, non ante fidem habebimus, quam de ejus veri amore ex ipsius ingenio, dictis, itinerum consilio et ratione efficiendo, plane nobis persuasum sit. Thucydidem, Atheniensem, de gravissimis suorum civium hostibus exponentem, in exsilium missum, hujusque auctores dijudicantem tum demum sequemur, quando praeter honorificam omnis aevi de eo sententiam, vehemens illud veri studium in divitiis utendi modo, in critica vetustissimae Graecorum conditionis explanatione fabulosis popularium commentis prorsus oppositâ, in hostilium pariter ac patriarum tum virtutum commemoratione tum calamitatum exprobratione, in aliis omnino multis conspicuum, attenderimus diligenter. Non confidemus Polybio, Romanorum, apud quos exsul degit, potentiam explicanti, referentique saepius de principibus viris, quos cognatos amicosve habebat, nisi, indagatis, quae ei ad historiam condendam praesto fuerint, subsidiis, patuerit item animi candor, ex peculiaribus, quibus veritatis momentum declaratur, haud magis eliciendus sententiis,

Digitized by Google

quam in ea obvius scribendi ratione, qua ad ipsas res gestas, relictis earum auctoribus, judicia sua adaptare studuerit. Nulli denique, ut paucis complectar, prorsus credemus historico, cujus non ingenium, mores, vitae conditionem, quoad ejus fieri possit, accuratissime exploraverimus. Etenim sic est natura hominis comparata, ut verum appetat saepius quam assequatur, rerumque externarum in animum occaecandum vim et auctoritatem sentiat facilius ac ferat aegrius quam minuat tollatve plane.

Quae hactenus, Auditores, de Critices dixi in historia tractanda utilitate et vero necessitate, tam recentioris spectat quam antiquae historiae fontes. Non addam hisce, laudatam illam fontium disquisitionem tum in primis severe instituendam esse, cum aut incertae ipsi dubiaeve sunt fidei, aut res continent minus probabiles. Nec summum ejus momentum ostendam in illorum dissensione, quando eaedem res ab aliis sive scriptoribus seu variorum fontium auctoribus aliter et simul tam probabiliter ab omnibus proponuntur, ut nescias primum, quae sit probanda sententia: quomodo tum ex majore, quae aliis fuerit, rerum cognoscendarum facultate, ex ardentiore veri

Digitized by Google

studio in reliqua narratione nunquam non conspicuo, ex monumentorum, si quae sint, publicorum, inscriptionis v. c. nummi, instrumenti maxime authentici consensione, dissensione, silentio, rationes petantur, quibus rite ponderatis et subductis ad aliquam tandem praeferendam opinionem animus inclinet. Tam sponte enim e praecedentibus hoc efficitur momentum, ut, si longa persequerer oratione, vestris ingeniis injuriam facere viderer. Sed ad illud nunc accedam Critices munus, quod ad antiquos maxime historicos pertinet, et est sane unum in paucis gravissimum difficillimumque, ut ea nobis historiae loca explicet, quorum fontes desiderantur.

Primarios rerum gestarum auctores diligentissime nobis, veri studiosis, tractandos esse supra me statuere memini. At vero haec est historiae, praesertim antiquae, dolenda sane conditio, ut non semper e fontibus ad illius cognitionem proficere liceat. Etenim haud raro ipsi vel integri perierunt vel corrupti ad nostram aetatem pervenerunt; et istiusmodi tantum supersunt scriptores, qui suam ex iis duxerunt, narrationem. Hos quidem, si principum historicorum libri superstites essent, non tanti certe, quanti fit hodieque,

Digitized by Google

aestimaremus; sed illorum jactura horum dignitatem tantopere auxit, ut ipsis adeo fontibus annumerentur. Et profecto gravissimarum saepe, quas ceteroquin plane ignoraremus, rerum memoriam nobis conservarunt; verum aliquot subinde secula iis posteriores fuerunt, neque omnia omnes e spectatae fidei monumentis hauserunt. Quae cum ita sint et vel sic tamen ad eorum auctoritatem saepissime confugere cogamur, permagni, ni fallor, nostra investigare interest, quo tandem loco haec habenda sit auctoritas. Hinc enim unice perspicere licet, verane an falsa, probabilia nec ne animo comprehendantur. Sed luculentius mihi, quae sentio, significanda esse opinor.

In antiquissima populorum historia insignem Graeci locum tribuunt Assyriis. Tantum autem abest, ut e florenti hujus gentis aetate historicum habeamus, ut nec ille, qui brevi post Herodotum eoque uberius multo de Assyriis egit, nobis supersit Ctesias, et adeundi sint potissimum Siculus Diodorus et Justinus, Augustei aevi ille, hic seriorum etiam temporum aequalis. Quamobrem continuo quaeritur, unde sua hi duumviri duxerint. Et de Diodoro quidem dubium esse nequit, quem universe Ctesiam secutum esse ex ipsius verbis

Digitized by Google

patet; de Justino contra non adeo expedita est responsio. Hic enim non tam ipse historicus, quam historici epitomator, scriptores memoravit nullos. Verumtamen si e critices praecepto viri tradita cum Assyriacis Diodori contuleris, ut non eadem ubique reperies, sic multa tamen Ctesianae narrationis deprehendes vestigia. Sed tum altera sponte oritur quaestio. Ctesias ille a rebus hisce, quas historiae suae Persicae praemisit, aetate remotus unde profecit? quis fuit? Sunt hae disquisitiones in scriptore deperdito difficiles saepe, nec ad liquidum subinde perduci queunt, at necessariae tamen et nunquam non pro viribus instituendae. Namque historica seriorum auctorum fides ab iis magnam partem pendet. Hîc ad Diodori et Justini auctoritatem dijudicandam faciunt, quam ne intelligunt quidem, qui non cognoverint, Ctesiam, utpote per septendecim annos aulae Persicae medicum, tum universe fontes habuisse aliis incognitos peregrinis, tum etiam vetustissimas rerum Assyriacarum membranas, in Persicum, ut videtur, sermonem translatas, consuluisse *. His autem rite perpensis, exploratâ item horum librorum ratione et Ctesiae viri, ut plurimi crepant, mendacis

* Baehr. Ctesiae Cnidii Operum reliquiae, p 36 et 400.

Digitized by Google

indole, investigatis denique posteriorum in fontibus describendis judicio ac fide, ea, quae magna opera indagatur, patebit auctoritas. Sed mittamus Assyrios, quorum quidem historiae si Critica tam studiose adhibeatur, qua tandem diligentia versari nos oportet in gravioribus Europaearum gentium rebus? In historia Siciliae, celebris illius regionis, summam aliquando mari potentiam adeptae, a primariis antiqui aevi populis petitae, quae, licet tum plures ipsa tulerit historicos, tum peregrinos habuerit laudum suarum explicatores, in horum tamen omnium jactura e Diodoro rursus et Justino maximam partem est cognoscenda? In facinoribus Philippi, de quo prudente, perspicace et astuto rege, Graecanicae libertatis oppressore, imperiique Macedonici conditore qui, vel in reliqua narratione, vel de industria, exposuerant Ephorus v. c. et Theopompus aliique interierunt, et sic juniores nos scriptores, maxime Diodorum, Aeschinis et Demosthenis orationibus jungere coegerunt? In expeditionibus Alexandri, quae ut Europae non tantum, verum Asiae quoque et Africae conditionem commutarunt, ita munerum gravitate conspicuos, ipsos adeo regis comites et duces, nactae historicos, minime tamen horum scriptis diu jam deperditis nobis innotuerunt,

Digitized by Google

sed ex iis, qui illis usi sunt fontibus, e Diodoro potissimum, Curtio, Plutarcho, Arriano et Justino petuntur? In rebus Gracchorum, quos gravissimarum, quibus Respublica Romana diu perturbata tandem tyrannis paruit, calamitatum, invitissimos sane auctores non amplius ipsorum Orationes, Corneliae ad Cajum filium Epistolae, Caji de fratre Tiberio scriptum, aliive aevo illi suppares viri, sed juniores iterum, Plutarchus praesertim et Appianus nobis cognoscendos praebent? His igitur similibusque historiae locis quam, quaeso, nos adhibere decet diligentiam? Superstites eorum historici nec eadem semper et incredibilia nonnunquam referunt. Pro sua ipsi indole auctorumque, quos exprimere studuerunt, ingenio, et sibi invicem saepe repugnant, et fabulis subinde quam vero similiora tradunt. Mihi quidem haec cogitanti criticae, quas in rebus Assyriacis commendavi, hîc potissimum requiri videntur disquisitiones. Explorabimus continuo scriptorum ingenium, indagabimus quos adierint, et dijudicabimus fontes. Hinc enim dici vix potest, quantopere narratorum veritas pendeat. Nam, ut his utar, qui de Alexandro egerunt, minime eodem redit, Clitarchumne, hominem inflatum omniaque in majus extollentem, an

Digitized by Google

vero Aristobulum et Ptolemaeum, veri amantissimos, praeeuntes habuerint. Agathoclis facinora apud Diodorum et Justinum leguntur; quae vero hic commemoravit ejus flagitia, ille non exposuit. Utrius igitur valeat testimonium latet eos, qui ignorent, a Justino eum expressum esse scriptorem, qui secutus fuit Timaeum; Diodorum vero nec acerbissimo huic tyranni inimico, neque etiam Calliae turpi ejusdem adulatori nimis confisum, mediam inter utrumque viam tenuisse. Quae sane prudens fuit viri ratio. Tum enim accuratissime homo proponitur, quando virtutes, quas ei tribuunt adversarii, et vitia, quae fautores memorant, attenduntur et ponderantur. Quamquam quid Diodorum loquor, cujus auctoritatem sic a fontibus pendere docuit Heynius, ut gravissimas subinde narrationes levissimae excipiant. Praeclara profecto Libro 3 de Aethiopibus occurrunt, ex Agatharchide in primis, egregio scriptore, desumta; his autem, quae subjunguntur de Amazonibus Libyae, auctorem habentia Dionysium Milesium, nullam plane fidem merentur *.

* Cfr. Comm. de Diodori font. et auct. in Comm. Soc. Got. Tom. VII p. 84 sqq.

Digitized by Google

Quae Critico in explorandis dijudicandisque historiae, praesertim antiquae, fontibus sit adhibenda diligentia, satis mihi videor significasse. Sed hoc item est Critices idemque palmarium munus, ut deperditorum etiam fontium, quoad ejus fieri potest, instauret memoriam. Herodoti, Thucydidis, Xenophontis libri omnium ore feruntur, sed veluti nullos per duo secula historicos Graecia tulerit, his saepe subjungitur continuo Polybius, a quo item continuo transitus fit ad Diodorum, Dionysium alios. Pariter e Latinis sexcenties Sallustium et Livium, rarius autem iis antiquiores, quibus hodieque caremus, memorari audies. Scilicet perierunt nobis, qui Graecis triumviris successerant cum alii permulti, tum duo, quos supra excitavi, principes, Ephorus et Theopompus, nobiles illi Isocraticae disciplinae alumni. Perierunt qui post Polybium res gentium tradiderant Posidonius, Strabo*, alii. Desideramus innumeros, unde ad historiam Romanorum condendam profecit Livius. Quid igitur? Nomina eorum, librorumque, quos scripserunt, titulos cognovimus, ipsos vero, id est scripta eorum historica ignoramus plane?

* Strabonis me significare *ὑπομνήματα ἱστορικὰ*, discipulorum caussa moneo.

Ignoraremus profecto, Auditores, nisi Critica illa denuo in lucem protulisset. Haec enim diligenter Justinum explorans, Trogi Pompeji Epitomatorem, qui Theopompum secutus fuit, ipsius inde Theopompi historiam instauravit quodammodo ac patefecit, parique diligentia Ephori vestigia legens in Diodoro Siculo, historiae non tantum, sed orationis etiam Ephoreae formam est et rationem assecuta. In quibus indagandis restituendisque ut praeclare versati sunt Heynius et Heerenus, ita in historicis Alexandri instaurandis egregia et sunt et habentur Sanctocrucii merita; atque ut alios taceam, qui simile quid aggressi sunt et perficiunt, nunc attulisse sufficiat nostratium Groenii, Nautae, Ekkeri de Coelio Antipatro et Cornelio Nepote commentationes. Verumtamen in tristi illo bonarum literarum naufragio, praeter illustrium historicorum libros, principum etiam in civitate virorum scripta ea perierunt, quibus hi rerum suarum memoriam prodiderant. Talia confecerant v. c. Aratus, Sulla, Messala Corvinus, Augustus, ipse etiam M. Tullius Cicero, eo nobis pluris aestimanda, quo diligentius iis auctores res suas aliorumque privatas complexi fuisse videntur. Horum autem jacturam quo facilius feramus, eadem efficit, quam celebramus,

Digitized by Google

Critica. Nam fuit in historicis Graecis, qui et commentarios illos legerat plerosque et in principum virorum vitis enarrandis usurpavit, historicorum facile omnium eruditissimus, Plutarchus. Quamobrem quo accuratius quis, Heerenum secutus, vitas illas indagaverit, ut non tantum Plutarchi fidem exploraret, sed indicia etiam istiusmodi commentariorum exquireret, eo plenius nobis hoc explebit desiderium. Et hujus quidem disquisitionis unum juvat exemplum apponere. Tironem constat Ciceronis libertum ac familiarem patroni sui amicique res descripsisse, cujus liber quantum continuerit ad privata et domestica Ciceronis negotia intelligenda, ex auctoris cum Cicerone familiaritate suspicari licet. Sed legat quis Plutarcheam Ciceronis vitam, animadvertatque diligenter, quae illic familiarem vitae conditionem spectant, vel fallor magnopere, vel is Tironianae scriptionis, qua usus fuit Plutarchus, indicia reprehendet et vestigia complurima.

Aperui meam, Auditores, de Critica historiae adhibenda sententiam, quam si vobis probavero, summam mecum gratiam habetis eximiis illis viris, quos criticis veterum monumentorum disquisitionibus edendis certiorem reddidisse constat nostram antiqui aevi cog-

Digitized by Google

nitionem. Gaudemus item alios jam strenue eorum secutos esse exemplum, vehementerque optamus, ut viam palmariis illorum disputationibus monstratam, regiam quippe uniceque probandam, non in antiqua tantum, sed, quoad ejus fieri possit, in reliqua etiam historia omnes ingrediantur ejus vere studiosi.

Habet procul dubio haec historiae tractandae ratio plurimum difficultatis. Nam, ne vel linguarum, quibus principum saltem populorum res traditae ac perscriptae sunt, vel disciplinarum cum historia conjunctarum studium memorem, plurimi explorandi, secum invicem comparandi, dijudicandi sunt fontes, cavendumque maxime, ne, quod nonnunquam fieri novimus, praeclarus investigationis ardor in temerariam cavillationis libidinem abeat. Haud convenit illis, qui omnem laboris constantiam et assiduitatem respuentes historiam brevissimo temporis spatio percipere cupiunt. Et si quaeratur, num ego, vehementissimus ejus propugnator, eam jam omnibus historiae partibus adhibuerim, non affirmabo, Auditores, quod et mearum tenuitas virium, et ipsa etiam, quam ad vos habui, oratio me mentiri arguerent. Enitor quidem, ut accuratiorem mihi rerum gestarum notitiam comparem.

Digitized by Google

Admiror, colo, plurimi facio illos viros, qui tantos haud fugerunt et vero superarunt labores; eorumque sicuti sequi placet, ita quis non lubentissime assequatur exemplum? Sed quoniam in his praesertim humanitatis studiis neminem se magis quam ipsarum disciplinarum caussam cogitare decet, mei me puderet, si necessarium aliquid, cujus autem ipse non superarim impedimenta, iccirco propugnare et celebrare vererer.

Neque tamen difficultate illa ratio deterret magis, quam commendat se utilitate. Nam cum sola nos ad veri proxime adducat cognitionem, sola profecto impedit, quominus inania sectemur opinionum commenta et vana rerum specie decipiamur, sola etiam nos aptos reddit pragmaticae, quam initio memorabam, historiae tractationi. Quod affirmanti mihi, eoque tandem, unde orsa fuit, orationem convertenti ii non assentientur, quibus totum hoc philosophandi, ut vocant, displicet negotium. Quemadmodum enim plures, neglectis fontibus, temere de rebus pronunciant, quas vix cognitas habent, nedum perspectas: sic alii criticum fontium examen diligenter instituunt, et res ab antiquissimis inde temporibus gestas tam accurate tenent, ut ne parvulae quidem

Digitized by Google

pugnae minimaeve victoriae eos fugiat notitia; at harum omnium caussas, effectus, nexum ignorant, nec vero populorum ingenium, mores, studia, progressiones attendunt. Sed prouti in illos venustissima quadrat comparatio, a Wyttenbachio de iis adhibita, qui grammaticam contemnentes veterum linguarum intelligentiam, continuo disciplinas antiquorum, quamquam illis linguis proditas, percipere velint: nimirum eos quasi in aedificio fabricando initium facere a tecto et apicei, de fundamentis et parietibus non cogitantes: ita hos idem ego agere opinor ac si quis fundamentorum et parietum positione domum contineri et absolvi contendat: vel etiam similes dico illis, qui hominem nobis ostensuri *sceletum* proponant, carne, succo et sanguine destitutum. Nam sic profecto se res habet, Auditores: Historiae recte operam navare nemo potest, nisi qui pragmaticam inquirendi rationem instituat, sed hanc tum demum licet instituere, postquam historiae fontibus diligenter adhibuerimus *Criticam*.

Digitized by Google

Et hisce quidem de re gravissima in medium prolatis eo tandem veniam, quo dudum me vocavit animi voluntas, ut publice gratias agam Athenaei nostri Curatoribus, quorum commendatione haec mihi Literarum docendarum provincia ab Augustissimo Rege fuit mandata. — Ego, Amplissimi Viri, quotiescumque in illius temporis memoriam redeo, quo honestam in primisque cum literarum studio conjunctam vitae conditionem optantem me magis quam sperantem praeclaro hoc munere Vos ornandum censuistis, toties praecipuam meae felicitatis partem Vobis refero acceptam. Vestra enim erga me voluntate non tantum mihi literas colere, sed vitae quasi tabernaculum in iis collocare, nec soli illorum suavitate frui, sed cum aliis illam communicare conceditur. Quod licet vultu hilari gratique praesertim animi sensum exprimente dicam, haud putetis tamen, una me semper cogitare muneris oblectamenta, difficultates vero vel non perspicere vel negligere perspectas. Quas enim tantas esse experiundo cognovi, quantae ab eruditissimis vix viris, nedum a juvene, superentur, has adeo nunquam e memoria depono, ut optimas diligenter earum quodammodo saltem minuendarum vias et rationes indagem. Quodsi facere per-

Digitized by Google

gam, illud forte consequar, ut et Vobis meam aliquando industriam diligentiamque probem, nec eximiis, quibus usus sum, Praeceptoribus indignus plane videar discipulus. Horum vero virorum in me merita nunquam obliviscar. Semper Goudoeveri, qui veterum monumentorum mihi vim rationemque explicuit, semper Schröderi, qui philosophiae cum universae tum praecipue moralis praestantiam et lectionibus mihi tradidit, et suo potissimum exemplo confirmavit, semper Heusdii, qui me non magis literarum virtutisque imbuit amore, quam patre mature orbatum ut filium dilexit, ad praeclara quaeque excitavit, eaque omnino, quae homini ab homine tribui ferme possint maxima, mihi tribuit omnia; semper horum triumvirorum in me beneficia recordabor, consilia et sequar, et meis impertiam discipulis. Ceterum Vos, Patroni optimi, mihi meisque studiis, ut favistis adhuc, ita porro favete, et gratissimum nobis omnibus fore confidite, si Vestris sub Auspiciis diu floreat antiquissima haecce et maxime veneranda bonarum artium sedes.

Vobis autem, Clarissimi Viri, quarumvis Disciplinarum Professores, quid multis me verbis commendem, quorum per integrum

Digitized by Google

nunc annum singularem sim benevolentiam expertus? Equidem ut de Vestra erga me voluntate nullus dubito, sic Vobis de mea in Vos observantia sit persuasissimum. Nullum profecto officii genus, quo gratum Vobis animum testificer, temere praetermittam, et quo minus Vobiscum ingenio et doctrina possum, eo magis fide cupio et animi integritate certare. Sed Vestram cum amicitiam celebrem, quî taceam insignem illam humanitatem, qua me superiore anno et advenam excepit et ad postremum vitae tempus prosecutus est Everwinus Wassenberghius? Permagni semper feci et faciam porro bonorum omnium erga me voluntatem, sed viri, ut aetate, sic ingenio, eruditione, sapientia tam longe mihi longeque praestantis benevolentiam experiri, hoc quanti tandem me aestimasse putatis? Neque tamen tua non recordor in me merita, Clarissime de Crane, qui me ne ore quidem aut vultu tibi cognitum, per literas domum tuam invitasti, comiterque semper excipiens, plurima eademque gravissima docuisti, nullam tamen praeceptoris aetate provecti austeritatem affectans, nec supercilio unquam tenuem juvenis contemnens doctrinam, sed ita suaviter mecum colloquens, ut viderer mihi subinde non tam erudiri a sene, quam discere ab

Digitized by Google

aequali. Tuam ne eruditionem celebrem mea me infantia prohibet. Eam autem ut diu ad Athenaei et illarum, quas tu maxime colis, literarum emolumentum conferas, etiam atque etiam opto.

Tandem ad Vos me converto, Frisiaci Athenaei Cives, Juvenes optimi dilectissimique. Sic enim jure Vos appello, qui non solum me, juvenem ipsum, lubenter studiorum comitem assumseritis, sed et insignia mihi observantiae dederitis amicitiaeque documenta. Vobis certe scio meam de Critica historiae adhibenda probari sententiam. Nam cum superiore anno Critices dignitatem exemplis confirmarem, haud obscure mihi assensi fuistis. Nunc autem eandem teneamus viam, et id omni ope nitamur, ut gentium historia nobis aliquando fiat vitae magistra, morum emendatrix, expultrixque vitiorum. Equidem vero iterum Vobis affirmo atque sancte polliceor, nihil prius me potiusve habiturum, nisi ut Vestris commodis eâ, qua decet, diligentiâ prospiciam. Cui promisso ut plene semper cumulateque satisfaciam,

Faxit Deus Optimus Maximus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google





Digitized by Google